



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo
deliberantibus accomodata, Una cum ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1680

Med. I. De cœlesti gloria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

horatus est, ut ultro obviam processerit inimicis, atque in
 tota passione sua summam semper constantiam præstulerit.
 Considera III. Quomodo tu quoque deinceps hoc medio
 uti velis. Colloquium ad Christum. Vide Spinolam p. 2.
 Med. 172. pu. 3. fol. 128.

Legatur ex lib. 3. de imit. c. 21. & illa præcipuè verba
 bene ponderentur: Quanto melius ad patiendum te dispo-
 nis, tantò sapientiùs agis, & ampliùs promereris; feres quo-
 que leviùs animo, & usu ad hoc non segniter paratus.

Pro octava Die.

MEDITATIO I.

DE CÆLESTI GLORIA.

Scopus.

Desiderium Beatitudinis.

Tessera.

Vnam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in
 domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Pl. 14.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de cœna magna, quam sequenti-
 bus verbis S. Lucas c. 14. describit: Homo quidam fecit Cœ-
 nam magnam, & vocavit multos, & misit servum suum ho-
 stiam dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt
 omnia. Et caperunt simul omnes excusare. Primus dixit
 ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo
 te, habe me excusatum: Et alter dixit, juga boum emi
 quique, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum. Et
 alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Et re-
 versus servus hac nunciavit Domino suo. Tunc iratus Pa-
 terfamilias, dixit servo suo: Exi citò in plateas, & vicos
 Crisatis: & pauperes, ac debiles, & Cæcos, & Claudos in-
 troduc huc. Et ait servus: Domine factum est, ut imperâ-
 ti, & adhuc locus est. Et ait Dominus servo: Exi in vias
 & sepes: & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Di-
 co autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt,
 gustabit Cævam meam. Considera, in quam, quàm bene æ-
 terna beatitudo cœnæ comparetur, utpote in qua reperiun-
 tur

tur perfectissimè omnia illa tria capita, quæ cœnam aliquid prætiosam atque optabilem facere possunt, nimirum singularis charitas & benevolentia invitantis, jucundissima conviviarum societas, & summa multiplicis delectationis abundantia, quam breviter, sed bene indicavit S. David Ps. 134. dum dixit: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

Confidera II. Si famelici hujus sæculi tantopere gaudentur, si ad cœnam aliquam à Rege aut alio Domino terreno tententur, quantopere tu gaudere & exultare debeas, si autem revolvis, te ad illam cœnam, in qua omnes inebriabuntur de ubertate domûs DEI, & torrente voluptatis ejus potabuntur, & quidem per totam æternitatem, invitatum esse.

Confidera III. Quanto proinde desiderio ad dictam cœnam anhélare, seduloque cavere debeas, ne aliquid committas, propter quod ab eadem cœna excludi merearis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Confidera I. Quid potissimum eos, qui invitati festinaverint, quò minus ad cœnam paratam veniant, nimirum villa empta, juga boum probanda, & uxor ducta.

Confidera II. Quàm frequenter etiam similia impedimenta multos, qui ad cœnam cœlestem invitandi festinaverint, nimirum concupiscentia carnis, divitiarum, honorum, ita enim S. Jacobus c. 1. indicavit, dum dixit: *Qui quisque tentatur a concupiscentia sua abstrahitur, & abstrahitur; deinde dum concupiscentia conceperit, parit partum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem; atque adeò etiam à cœna ista excludit.*

Confidera III. An non tu quoque simile impedimentum haec hactenus expertus sis, ob quod, si non omnino animam & voluntatem in illa cœna comparandi abjecisti, exiguum tantùm desiderium ad eandem conceperis. Colloquium ad SS.

Punctum III.

Confidera I. Quibus medijs hæc impedimenta facillime titèrque removeare possis, scilicet ipsâ consideratione cœnæ, quâ frequenter menti tuæ repræsentantes gaudiorum illa præcipiendorum magnitudinem, varietatem, & duritiam

gem, ita ut, teste S. Paulo 1. Cor. 2. nec oculus viderit, nec auris audi verit, nec in cor hominis ascenderit, quæ præparavit DEVS ijs, qui diligunt illum.

Confidera II. Quam efficax sit hoc remedium ad omnem concupiscentiam ex animo eijciendam, si enim in hoc sæculo ij, qui ad cœnam opiparam invitati sunt, ultro & libenter ad famem usque abstinent à vilioribus cibis, ut tantò majori voluptatem ex ipsa cœna percipiant, cur non libentiùs abstineat homo à voluptatibus & honoribus terrenis, ut tantò abundantius hæc omnia in cœlis percipere mereatur; certè S. Augustinus lib. de moribus dicere ausus est, tantam esse jucunditatem lucis æternæ, id est, incommutabilis Sapientiæ, ut, etiamsi in ea non liceret amplius manere, quàm unius diei morâ, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni delicijs & circumfluentia bonorum temporalium rectè meritoque contemnerentur.

Confidera III. Quomodo tu deinceps hoc medio uti velis, & assiduò tibi occinere: *Sursum corda*. Aut cum S. Ignatio: *O quam sordet mihi terra, cum calum aspicio, & confidero*. Colloquium ad Christum.

Legatur ex lib. 3. de imit. c. 49. & illa præcipuè verba bene perpendantur: Pensa, fili, horum fructum laborum, celestem finem, atque præmium nimis magnum, & non habebis inde gravamen, sed fortissimum patientiæ tuæ solamen.

Pro octava Die,

MEDITATIO II.

DE CULTU SANCTORUM
PATRONORVM.

Scopus.

Renovatio amoris erga dictos Sanctos.

Punctum I.

Confidera I. Parabolam de grano Sinapis, quam S. Matth. c. 13. sic narrat: *Simile est regnum Calorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus: Cum autem creverit, majus*